UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Schola Canonica Seu Universum Jus Canonicum Nova Methodo Digestum

Continens Librum Tertium Decretalium. Librum Quartum Decretalium. Librum Quintum Decretalium.

Sannig, Bernhard

Nürnberg, Anno MDCXCII.

C. II. De Effectu Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98793

Visual Library

ubi in Ordinatione Diaconi committitur ipsi munus prædicandi & baptizandi tanquam Sacerdotum delegato.

18. Nota Sextò: Nemo potest seipsum baptizare, etiam in necessitatis articulo, *cap. Debitum 4. hoc tit.* Unus Minister potest plures simul baptizare; & colligitur ex *Act. 2.* ubi Apostoli leguntur uno die tria millia baptizâsse; quod vix fieri potuisset, nisi baptizando plures simul. Baptismus administrari debet regulariter in Ecclesiis, *Clement. præsenti unic. hoc tit.* nisi Regum vel Principum filii essent baptizandi *cit. Clement.* quod extendit Glossa etiam ad filios Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum & aliorum Potentatuum liberos; vel nisi aliud suadeat necessitas *cit. Clement.*

19. Nota septimò: In Baptismo omnino regulariter adhiberi debent certæ Cæremoniæ; uti constat ex Rituali Romano. Sunt autem Cæremoniæ quidam actus externi Religionis, ad DEUM colendum accommodati. Ex his aliquæ præcedunt Baptismum, & aliquæ sunt sequentes. Prima est *petitio in Ecclesiam*, quam faciunt illi, qui cupiunt baptizari, & vocantur Catechumeni. Secunda dicitur *Scrutinium*, quo Catechumeni examinantur, an firmiter & sincere credant? Tertia est *abrenunciatio Sathanæ*, & operibus ejus sæpius repetita. Quarta *fidei professio* facta. Quinta *signum Crucis* in fronte & pectore à Sacerdote impressum. Sexta *Exorcismus*. Septima est *sufflatio*, quâ significatur dæmonis expulsio & afflatio boni spiritûs. Octava *gustus salis*. Nona *saliva*, quâ tanguntur nares & aures, & dicitur *Epheta*. Decima *impositio manuum*, & benedictio Sacerdotis. Undecima *Unctio* in scapulis & pectore. Duodecima *abstinentia* vini & carnium ante Baptismum: Hæ omnes præcedunt Baptismum. In ipso Baptismo prima est, *nominis impositio*; secunda *Patrinorum assignatio*; tertia *immersio* seu *aspersio*. Post Baptismum prima Cæremonia est *osculum pacis*; secunda *unctio Chrismatis* in vertice baptizati; tertia *gestatio vestis candidæ* per 9. dies: Quarta *datio cerei accensi* in manus baptizati: Quinta in Occidente dabatur lac & mel gustandum.

20. Dico undecimò: quando in casu necessitatis conferrur Baptismus, omissis Cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, postea supplendæ sunt Cæremoniæ, si commodè fieri possit. Ita communis DD. Et patet ex praxi Ecclesiæ.

21. Dico duodecimò: Si omittantur Cæremoniæ ab Ecclesia additæ, tenet quidem Baptismus, sed peccatur mortaliter contra Religionem ab omittente; nisi parvitas materiæ excuset; vel necessitas manifesta. Ratio est; quia vergit in contemptum Ecclesiæ præcipientis, vel scandalum populi talis omissio.

22. Dico decimò tertiò: In Sacramento Baptismi requiritur etiam Patrinus ordinariè, ut licitè administretur. Ita communis DD. Et desumitur ex præcepto Ecclesiæ, quod habetur *cap. Vos autem, dist. 4. de Consecrat.*

23. Dico decimò quartò: munus Patrini est, suscipere sub suam curam tanquam parens spiritualis infantem, quoad res spirituales, præsertim quoad instructionem symboli & Orationis Dominicæ. Ita communis DD. Et desumitur ex mente ac praxi Ecclesiæ. Liberantur tamen Patrini ab ista obligatione, ubi est consuetudo, ut baptizati in rebus Fidei instruantur à Parochis, vel parentibus, vel pædagogis.

CAP. II.

De Effectu Baptismi.

1. DIco primò: Baptismus ritè ac sine obice collatus, per modum effectûs delet omnem culpam & pœnam, sive temporalem, sive æternam alterius vitæ. Est communis apud Theologos. Et constat *primò* ex determinatione Conc. Florentini, quod in *Decreto Fidei* dicit, hujus Sacramenti effectum esse remissionem omnis culpæ Originalis & actualis, omnisque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Idem de culpæ Originalis & actualis deletione clarè definit Trident. *sess. 5. in Decreto de peccato Originali.* De pœnæ verò etiam temporalis amotione, loquitur eadem Synodus *sess. 6. c. 14.* ubi docet, in justificatione impii totam culpam & pœnam æternam per Pœnitentiam dimitti; sed de temporali pœnâ subjungit; *quæ ut Sacræ Literæ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur.* Constat *secundò* ex S. Scripturâ ad Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et Joan. 3. & alibi. Et huc olim collimavit Spiritus S. quando per os Ezechielis 36. locutus est; *Effun-*

dam

dam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Sed non potest suscipiens Baptisma mundari, regenerari, renasci, si in eo maneat culpa Originalis & actualis peccati: ergo &c.

2. Dico secundò: Baptismus præterea etiam per modum effectus confert fidem, spem, charitatem & characterem specialem. Ita communis DD. Et patet tum ex *cap. Majores 3. hoc tit.* Tum ex Tridentino *sess. 6. c. 7.* quod dicit: *in ipsa justificatione impii* (quæ habetur per Baptismum) *cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur Fidem, Spem & charitatem*: Et de Charactere habetur *sess. 7. can. 9.*

3. Dico tertiò: Virtualiter etiam virtutes morales in Baptismo infunduntur. Ratio est; quia Charitas, quæ in Baptismo infunditur, eminenter omnes virtutes morales continet; inclinat enim animam ad omnes actus virtutum moralium; teste Apostolo, *Charitas patiens est, benigna est, &c.*

TITULUS XLIII.

DE

Presbytero non baptizato.

CAP. UNICUM.

De Sacerdote, qui absque Baptismo ordinatus fuit, & Sacramenta administrat.

1. NOta primò: *Iste titulus* brevis rectè proponitur à D. Papa post priorem agentem de Baptismo; ut appareat, quid sit sentiendum de Sacerdote, qui non ingressus per januam Sacramentorum, scilicet per Baptismum.

2. Dico primò: si quis Presbyter deprehenderet se non fuisse baptizatum, baptizetur, & rursus ordinetur. Ita dicitur *cap. 1. hoc tit.* Quia receptio Ordinis Sacerdotalis fuit irrita; cùm Baptismus sit janua Sacramentorum, *cap. 3. & ult. hoc tit.* Quòd si verò talis nollet ordinari, potest manere Laicus: & si contraxerit Matrimonium illud erit validum; quamvis non licitè contrahatur; cùm tacitè videatur edidisse votum simplex Castitatis, seu continentiæ, *arg. cap. Cùm quidam 12. de convers. conjugat.*

3. Dico secundò: Presbyter credens se probabiliter fuisse baptizatum Baptismo fluminis, si sinè Baptismo moriatur; in fide tamen S. Matris Ecclesiæ, & in confessione Nominis JESU perseveravit, ab Originali peccato solutus est & salvatus. Ita Glossa & communis DD. Et habetur *cap. 2. hoc tit.* Estque Ratio; quia talis Presbyter est salvatus cum Baptismate flaminis; talis enim sufficit, cùm eo quis baptizetur interiùs per fidem Christi *cit. cap. 2.*

4. Nota secundò: Baptismus à Presbytero non baptizato collatus, non est reiterandus: cùm ejus Minister possit esse quivis viator, etiam non baptizatus, habens intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, *cap. in necessitate.* Et *cap. Romanus dist. 4. de Consecrat.* Similiter nec Matrimonium, cui ejusmodi putatitius Presbyter adstitit, est repetendum; uti docet ex Joan. Hon. Engel. Ratio est; quia Presbyter in Matrimonio non requiritur tanquam Minister Sacramenti, cùm ipsimet contrahentes illud sibi ministrare intelligantur; sed requiritur per modum duntaxat testis excellentis; unde fit, quòd etiam invitus vel excommunicatus validè assistat; uti notat Barb. Sanch. Engel. &c.